UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catalogvs Omnivm Antistitu[m] Tungaroru[m], Traiectensiu[m], ac Leodiorum, [et] rerum domi, belliq[ue] gestaru[m] Compendium

Placentius, Jean-Leo

Antverpiæ, 1529

Trigesimus quintus Antistes

urn:nbn:de:hbz:466:1-30477

Visual Library

ſub Apoſtolico Celeſtino tercio. Imperāte Hēri
co filio Frederici, qui aliquādo reſipiſcens apud
Leodium, duas aras munifice dotauit, quæ ſunt
diui Lamberti & Remacli

Trigeſimus quintus Antiſtes

ALbertus ſecundus filius comitis Vloſſeni
ex filia dñi Hērici a Cuycis, aduerſus Si-
monē Arduēnę ducis filiū itidē electum
pręualuit. Lite enim in vrbē prouocata, iſte gale
ro inſignitꝰ eſt, & Cardinalis appellatꝰ: ille Anti
ſtes cōſecratus. Quo Leodiū reuertēte, quū ſteri
litas & inedia in patriā incrudeſceret, indicto ie-
iunio, tres ſacras pōpas ordinauit poſt natalē Ioā
nis bap. obſeruādas. Qui dū electionē abbatis Sē
blacēſis, ſede Leodina vacāte, ab Archiepiſco co
loniēſi cōprobatā abſq; pecunia admittere nollet
Monachi clā illo, cōtulerunt, & Abbatē ſuū inſti
tui curarūt. Sed Abbas poſtea ab Antiſtite inui-
tatꝰ, cauſam intelligēs, propter ea literis cōſciētiā
apud Celeſtinū terciū teſtificatus, hinc capitulū
in decretalibus adhiberi laborauit, quod Antiſti
tē Leodinū, de ſymonia coargueret, vt videre
eſt Extra de Symo. cap. Sicut tuis literis. Contra
Ducissam Brabātię bello inſtructo, a Metēſi Ar
chiepiſcopo monitꝰ, exercitū dimiſit: & pacem
inijt. Seditionē ciuiū Leodienſiū, aduerſus cano
nicos aliquantiſper fouit, et audatiā prophanoꝝ

Tumultꝰ apud Leodium.

ſępe diſſimulās, minime clericorū partibus faue re notabatur. Plebei etenim ciuitatē murovestiē tes, eccleſiaſticorū ingenuitatē primū aſpernati. Deinde canonicos, aut cooperarios, aut ſoluēdo ęquales depoſcebāt. E diuerſo illi a ciuitate ſe ſub ducētes, in ciues Apoſtolicū fulmē immittebāt & honoratiores mercatores e Frācia redeuntes mercibus ſpoliabāt. Vnde reb⁹ pacatis Antiſtes ciues iure iurādo cōſtrinxit, & immunitatē cleri corū intemeratā conſeruauit. Obijt anno ſalutis 1199. anno adminiſtratiōis. 4. ſepult⁹ in Collegio diui Lāberti. Floruit ſub Apoſtolicis viris Celeſtino. 3. & Innocētio. 4. Imperātibus Henrico filio Fręderici & tempore Sciſmatis Philippo & Ottone. Quo tēpore carbones (qui lingua Leodienſi, hullę vocātur) pauperculo fabro effodiendi mōſtrati ſunt in locis ſub terraneis, qui hucuſ que e venis quaſi cōcreti depēdent, & opera carbonariorum reſcindūt, quorum calor odorē ſulphureū cōmixtū habet, & in cineres impurgatiſſimos paulatim ſe dimittit.

Carbones inuenti ſunt

¶ XXXVI. Antiſtes

HVgo de Petrapōte nobilis, doct⁹, prudēs & magnanimus, Collegij ſummi præpoſitus, ab Ottone rege cōmendat⁹, & a Guidone cardinale Pont. ſummi legato cōfirmatus eſt anno ſalutis milleſimo ducēteſimo. Qui hæroica virtute prędit⁹, Appellationē, cui Romę

an⁰. 1200.